

sione in vehiculo, nam non ita urget sicut in lecto. Et quanquam certissima sit conclusio de imponenda pœna ordinaria, ex indicis, & argumentis, ut per Text. in leg. final. C. de probat. Cum Peguera, Leone, Farin. Caballo, Giurba Marquez, Antonio Mattheo & aliis probavi, tom. 2. de regim. Val. cap. 8. §. 8. n. 2. & seqq. Quando pœna non est expressè à lege definita, arbitrium extendendum esset dupliciter: nempe, quo ad pœnam extendendo usque ad mortem, & quoad probationem irregularem, pro plena fumendo: quod jus non patitur, quia duæ specialitates admittendæ non sunt, ut docent Menoch. Consil. 327. n. 38. Cephal. consil. 514. n. 25. Seraphin. de privil. jur. privil. 38. num. 44. Jacobus Cancr. var. lib. 1. cap. 14. num. 78. Berlich. part. 1. conclus. 81. num. 197. quæ tradideram, dict. §. 8. num. 244. Et multo minus quando agitur de vita hominis, ut notat Carpzov. dict. quest. 72. num. 7.

69 Et sic in hac specie Maria detrusa fuit in Monasterio, alenda expensis Bartholomei, & ipse condemnatus fuit in exilium, & ad solvendum sexcentos ducatos sententiâ diei 10. Decembris anni 1659. actuante Petro Marron.



CONTROVERSIA LI.

De stuprante tres puellas, quorum custodia sibi per communem dominum commissa fuit.

SUMMARIUM.

- 1 Facti species enarratur.
- 2 Stupri pœna de jure civili Romanorum mortis fuit.
- 3 Stupri pœna Cesarum constitutionibus mitigata fuit, & arbitraria effecta.
- 4 Stupri pœna de jure Canonica, est ducendi, vel dotandi puellam.
- 5 Stupri pœna canonica viget in omnibus Regnis Christiani orbis, juxta communem praxim.
- 6 Stupri pœna de jure Hispano eadem, quæ de jure Cesarum, sed in praxi pœna canonica admittitur.
- 7 Sententia in causa stupri, quomodo concipienda.
- 8 Stupri pœna exacerbari debet ex reiteratione.

- 9 Sicut generaliter exacerbatur in aliis criminibus.
- 10 Stupri reus si non potest ducere, neque dotare puellam corporaliter, usque ad mortem est cœrcendus.
- 11 Virginem, aut cognatam Domini corruptens, pœna mortis de jure Hispano punitur.
- 12 Dispositio l. unic. C. de mulier. quæ se prop. ser. conju. extensa est per legem Hispanam, ad omnes famulos.
- 13 Leges noviores Hispanæ non mitigant hanc pœnam.
- 14 Text. in l. 4. tit. 20. lib. 6. recopil. concordatur cum l. 6. tit. 10. lib. 8. ejusdem recopil.
- 15 Famulus contrahens matrimonium clandestinum cum domestica, quæ pœna plectatur, per jus Hispanum.
- 16 Minor injuria Domino irrogatur per contractum matrimonii, quàm per stuprum.
- 17 Accessus famuli ad famulam, non virginem, quæ pœna plectatur.
- 18 Jura discretivè loquentia, discretivè interpretanda sunt.
- 19 Lex posterior pœnam arbitrariam imponens, non derogat legi pœnam certam imponenti.
- 20 Enormitas comprobatur, ex reiteratione scandalosa.
- 21 Et ex fractione fidei Domino debita.
- 22 Stuprum patratum per tutorem, vel curatorem gravius plectendum.
- 23 Idem in Commentariensi, & custode carceris.
- 24 In crimine stupri attentati, & non perfecti ratione atrocitatis pœna extendi potest, usque ad mortem.
- 25 Stupro patrato, si pœna canonica adhiberi non potest, subintrat pœna civilis, quæ est arbitraria.
- 26 Si neque violentia, neque raptus, neque deceptio promissione nuptiarum intercedant.
- 27 Violentia non intervenit neque deceptio cessante fraude, & assidua persuatione.
- 28 In crimine stupri ex reiteratione, pœna aggravatur, citra mortem tamen.
- 29 Reiteratio matrimonii, vivente prima uxore, non puniuntur pœna mortis.
- 30 Qui non habet bona ad dotandam virginem corruptam, pœnam corporalem sustinere debet.
- 31 Sed mitiori pœna, non autem mortis.

- 32 Dispositio l. 4. tit. 20. lib. 6. recopil. qualiter admittitur in praxi sit.
- 33 Tutor, Curator, Commentariensis, & Custos carceris graviter puniuntur ratione stupri patrati in puella sibi commissa, sed citra mortem.
- 34 Decisio Aula.
- 35 Stuprata consentientes in fugio puniri debent tanquam participes criminis.
- Stuprata punitio, non est usu recepta. ibid.
- 36 Lex Julia stuprum, & adulterium equaliter complectitur.
- 37 Femina ratione adulterii puniuntur.
- 38 Puella de quibus agitur in hac specie, puniende omnino videbantur.
- 39 Præcis solum admittitur punitio nem stupratis, quando diu in concubinato persistit.
- 40 Non autem ratione simplicis stupri.

PATERFAMILIAS cum uxore, & liberis, recreationis causa, pernoctaturus extra urbem, custodiam Domus, & familia Alpheni famulo quadragenario commiserat. Remanserant tres puellæ virginis, ex his quæ matrifamilias serviebant. Cum eis Alphenus ludere cœpit, & de venereis loquelam introducendo, mentes earum libidinoso affectu inflammavit, adeo ut ipsis consentientibus unam post aliam, cæteris plaudentibus, eodem vespere stupraverit: quod earum relationibus, atque rei confessione comprobabatur. Confitto etiam de corpore delictorum per inspectionem obstetricum, dubitabatur in Aula, quæ pœna Alphenus esset plectendus.

2 In primis supponebatur, quod de jure Civili tempore Consulterum, pœna stupri erat mortis, ut probat Text. in l. 1. §. final. ff. de extraord. crimin. ibi: perfectio flagitii puniuntur capite, imperfecto in insulam deportatur. Quo Paulus eam distinctionem adhibendo, dubium excludit, ne dicatur pœnam capitalem de relegatione, vel deportatione, aut alia simili intelligendam esse: quia si imperfecto flagitio, quod mitius punitur, pœna deportationis infligitur, eo perfecto gravius pœna, ordinaria nempe, infligenda est. At Cesarum constitutionibus temperata fuit hæc acerbitas, ita ut stuprator virginis seclusis violentia, & raptus, pœna amissionis dimidiæ partis bono-

rum si honestæ conditionis sit plectatur, simul cum relegatione ad arbitrium judicantis. Si verò humilis conditionis reus sit, fustibus cæsus, in exilium mittatur, Text. in §. item lex Julia, de Adulteriis inflit. de publ. judic. & sic pœna stupri remanet proflus arbitraria; & ex communi Judiciorum stylo, arbitrium hoc regulatur juxta æquitatem canonicam, quo jure pœna est quod stuprator puellam dotet, vel ducat, Text. in cap. 1. & 2. de adulter. Tradunt Paulus Grilland. tract. de pœn. omni. coit. quest. 7. num. 2. Jul. Clarus, in §. stuprum, num. 3. & ibi Baiard. num. 9. & 10. Peguer. decisione 42. numero 3. Petrus Gregor. lib. 36. synagm. cap. 9. numero 5. Fatinae. questione 147. numero 6. & 97. cum sequentibus, Caball. cas. 20. num. 12. cas. 98. num. 2. cas. 196. num. 13. & cas. 200. numero 25. Fibern. Decian. lib. 8. tract. crim. cap. 15. num. 6. Thefaurus, lib. 4. quest. forens. cap. 57. per tot. Julivius Carrar. decis. 65. num. 2. & 3. Ciartlin. lib. 2. Controvers. cap. 174. num. 53. Fontanell. de pact. nuptial. tom. 2. claus. 5. Gloss. 5. parte 1. numero 12. & parte 2. ex num. 1. Joan. Bapt. de Thoro, in compend. decis. verb. stuprator, Anton. Matth. lib. 48. ff. titulo 3. cap. 5. numero 8. Berlich. part. 5. questione 38. numero 4. & 13. Carpzov. in pract. part. 2. q. 68. n. 3. & 16.

De jure Hispano statuta est eadem pœna arbitraria per Text. in l. 2. tit. 19. part. 7. Verum etiam in praxi, canonica pœna generaliter admittitur, ut docent D. Covarruv. in regul. peccatum, 2. part. §. 3. num. 7. Gregor. Lopez in dict. 2. gloss. 3. circa fin. Montalvus, in leg. 1. titul. 11. lib. 4. for. leg. in Gloss. 1. versicul. item nota quod seducens virginem, Bernard. Diaz in pract. canon. cap. 83. num. 2. ubi Salcedo. Anton. Gomez, in leg. 80. Taur. num. 5. cum sequentibus, Didacus Perez, in Rub. tit. 15. lib. 8. Ordin. vers. queritur qua pœna, Azavedo, in rub. tit. 20. lib. 8. recopil. num. 26. Don Joan. Vela, de delict. p. 1. cap. 35. num. 6. & 7. Didacus Cantera, in quest. crimina. tit. de vitio, & fragil. car. cap. 4. num. 10. Pichard, in manu duct. ad prax. part. 3. §. 4. num. 17. Joan. Gutierrez, lib. 1. canonic. cap. 37. ex num. 6. & Barbosa, in collect. ad dict. cap. 1. & 2. de adult. Larrea, decisione 9. num. 63.

Sed licet non dubitetur de hac communi sententia in praxi generaliter admittitur, ita ut quoties quæstio emergat, &

& probatum crimen appareat, reus condemnatur ad dotandam puellam, & ad aliquam pecuniam corporalem ex levioribus, quas vitari possit eam ducendo; sive, ut vernaculo idiomate dicimus: *en defeto de no casarse*. In hac specie, reus graviter plectendus videbatur, imò pœna mortis, ex pluri- rationibus. Primò quia tria supra eodem die commiserat, & in hoc crimine ex reiteratione, vel pluralitate, plures virgines corrumpendo, pœna exacerbatur usque ad mortem, ut tenuerunt Grammat. *vor. 17. per tot.* Baiard. *ad Clar. in dict. §. suprum, numero 11.* Anton. Thesaur. *quæst. For. dict. lib. 4. quæst. 57. num. 22.* Gaspar, Thesaur. *decis. Pedem. 3. num. 3. in conclus. 5.* Menoch. *de arbitr. cap. 288. num. 12. in fin.* Farinac. *d. quæst. 147. num. 59.* Ant. Faber *in Cod. lib. 9. tit. 7. diffin. 5. num. 11.* Berlich. *d. conclus. 38. num. 101.* Carpov. *dict. parte 2. quæst. 69. num. 14.* sicut generaliter ex criminis reiteratione, pœna augeri solet, & sæpius usque ad mortem, ut probavi supra, *contr. 24. numero 13. controvers. 36. num. 34. & contr. 41. ex num. 2.*

10 Secundo quia reus virginem corrumpens ipsam ducere non potest, quia jam uxorem habet, vel alia de causa voluntatis, vel impotentia, neque habeat in bonis, ex quo dotem solvat, corporaliter coercendus est, juxta Text. *in l. 1. §. generaliter, ff. de pœn. ubi communiter Doctores;* & si interveniat seductio usque ad mortem; ut docent Anton. Gomez. *in dict. leg. 80. num. 9.* Menoch. *de arbitr. cas. 420. num. 100.* Berlich. *d. conclus. 38. num. 29.* Cum autem hic reus omnes tres blanditiis ad veterem impulerit, & deceperit, neque omnes ducere poterat, neque ullam dotare, quia in bonis nihil habebat; & sic ultimo supplicio affici debere videbatur.

11 Tertio, quia non unam virginem, sed tres corruerat, quæ retinebantur, & habitabant in domo communis Domini quod vel in una crimen capitale est de jure Hispano, Text. *in dict. l. 2. tit. 19. part. 7. ibi: però si fuesse siervo, o sirviente de casa, a quel que ofescare, o corrompieren alguna de las mugeres sobredichas, deve ser quemado por ende.* Cujus Textus dispositio notabilis est: nam extendit pœnam *l. un. c. de mulier. qua se prop. ser. conjunct.* ad omnes feminas de quibus noster Alphonsus locutus fuerat, *in lege præcedenti,* nempe ad virgines, viduas,

& ceteras honestas: & hoc non solum in servos, sed in quoslibet famulos, vel servitiores, ut in Textu clarè dicitur. Quæ dispositio confirmata reperitur, *in l. 1. tit. 15. lib. 8. Ordin. ibi: que qualquiera que ficieren fornicio con la barragana conocida del Señor, o con donçella que crie en su casa, que lo maten por ella;* Et ne dubium remaneret, an ex verbo *crie*, intelligenda dispositio sit de puella in domo educata, *in lege 6. tit. 20. lib. 8. recopil. dicitur ibi: o con donçella que tenga en su casa.* Sub cuius nomine, juxta communem sensum, intelliguntur famulæ honoratioris; ut colligitur Text. *in l. 3. tit. 14. part. 2.* docent hanc conclusionem Dominus Gregor. Lopez, *in dict. lege 2. Gloss. 5.* Didacus Perez, *in d. lege 1. in Gloss. verb. que crie en su casa:* & D. Joan. Vela, *de delict. cap. 36. numero 9. part. 1.* Neque obstat Text. *in d. leg. 1. vers. 9 al que hiziere tal maldad, tit. 15. lib. 8. Ordin. in l. 2. tit. 1. lib. 5. & in leg. 4. tit. 20. lib. 6. ejusdem recopilat.* ut voluit Azevedo, *in dict. l. 6.* dicens quod tanquam noviores dispositiones abrogarunt antiquiorem. Fallitur namque, nam *d. l. 6. tit. 10. lib. 8. recopil. eadem verba continet ac d. l. 1. tit. 15. lib. 8. Ordin. (dempto illò verbo crie, vel tenga, hoc est educet, vel habeat.) usque ad vers. e si qualquiera.* Et *d. leg. 2. tit. 1. lib. 5. recopil. est desumpta, ex d. l. 1. Ordin. vers. e si qualquiera, & d. leg. 4. tit. 20. lib. 6.* Utriusque legis substantiam complectitur, quæ clarè resultant ex attenda collatione horum jurum. Ita ut nulla differentia reperitur, nisi in eo quod per *dict. leg. 4.* pœna corruptentis confanguineam, virginem, vel nutricem filii aggravari jubetur juxta facti qualitatem & *dict. leg. 6.* pœnam mortis imponit, ex quo nulla sequitur derogatio, tum quia pœna legis recentioris, non tollit pœnam veteris legis, ut plurius probat Giurba, *consil. 25. n. 14. cum sequent.* Tum etiam quia, delinquens omnibus penis tenetur, & est in electione judicis quæ pœna voluerit delinquentem punire, *l. quoties 41. ff. de oblig. & act. plurib. Cabal. casu 2. n. 7. & 8.* & tandem quia lex posterior pœnam arbitratiam imponens, nihil de novo disponit, quia hodie omnes pœnæ sunt judici arbitrarie, Text. *in l. hodie, ff. de pœn. cum aliis adductis per Carpov. part. 3. quæst. 150. num. 7. & part. 1. quæst. 18. numero 1. lex verò 2. tit. 1. lib. 5. recopilat.* non de famulo

mulo virginem, aut cognatam corruptente, sed matrimonium domino inscio cum ea contrahente loquitur, & non est mirum quod levius plectatur, quia minor injuria irrogatur domino ex contractu quàm ex coitu, ut per se patet. Et sic pœna ex illi, & casu contraventionis, mortis contenta *in dict. leg. 2.* non extenditur ad corruptentem: dicta verò *leg. 1. vers. 9 al que hiziere tal maldad, & d. l. 4. in princip.* loquuntur de accessu famuli ad famulam non virginem, ut verba demonstrant ibi: *Tel que hiziere tal maldad con la sirviente de casa, que no sea de las sobredichas.* Et cum antea fecisset mentionem, de Virginibus, supponit ex servientibus esse, & non comprehendit sub hac ultima dispositione: quod etiam reperitur, *in dict. leg. 4.* versa vice: nam primo dicitur: *inviere acceso carnal con alguna mugero criada sirvienta;* & postquam pœnam ex hoc imponit, subiungit, ibi: *si lo susodicho acaeciere con parienta del Señor, o amo, e donçella,*

17 Ita ut nostri Reges distinguendo casus loquantur, pœnam distinctam in uno quoque imponendo, & in his terminis iudex non potest mutare pœnam nisi justa causa interveniente; juxta Text. *in l. 1. §. quorum, ff. ad Turpillian. & in l. 1. ad fin. Cod. de desert. lib. 12. l. 1. Cod. de privat. carcer. l. servos, Cod. ad leg. Jul. de vi publ. cum aliis adductis per Morlam, *in empir. tit. 1. quæst. 10. numero 2. & 5.* Giurbam, *consil. 12. num. 9.* de Jure nostro Text. *in leg. 27. tit. 6. lib. 3. recopil. latè Avendaño, de exeq. mandat. part. 2. cap. 26. num. 2. cum seqq.* Ex quibus resultat quod in his juribus nulla repugnantia versatur, ex qua correctio inferri valeat, Text. *in leg. sed & posteriores 28. ff. de legibus, cum simil. & quatenus arbitrium**

19 relinquitur judicibus, *in dict. l. 4.* quæ est recentior, exacerbandi pœnam in corruptente cognatam, virginem, nutricem domus, minimè opponitur, *dict. leg. 6. tit. 20. lib. 8. recopilationis,* imò una per aliam interpretanda est, juxta Text. *in l. sciendum, ff. qui satisd. cogant. l. quamvis, ff. de in jus vocand. l. filiusfamilias, ff. de act. & obligat. cum aliis adductis per Barbof. axiomat. 136. num. 4. ad fin.* ita ut ex gravitate criminis, pœna *d. l. 6.* quæ est mortis, imponatur, vel ex levitate resultante mitior, juxta *d. leg. 4.* Et hæc est vera interpretatio horum jurum, quidquid dicat Azevedo, & cæ-
D. D. Laur. Matthan, de Re Crim. Pars I.

teri, qui non perpendunt eorum mentem, & dispositiones.

Gravitas commissi criminis in hac specie comprobatur ex triplici scelere uno ictu patrato, nam, ut dixi *num. 8.* ratione reiterationis pœna aggravatur in omni crimine. Ex turpitudine facti, & procacitate rei, qui non solum puellas virgines seduxit, verum inauditum facinus perfecit, more galli gallinacci unam post aliam cæteris videntibus brutaliter flagitavit; ac tandem, dum custodiam illarum suscepisset, fidem domino debitam frangendo, omnes corrupit audaciter; ob quod cuncta, quæ de custode carceris, vel commentariense, de tutore, vel curatore dicta sunt per Joannem Fabrum, Plateam, Paridem de Puteo, Hippolytum, Grillandum; & alios quos sequuntur Gomez, *in dict. leg. 80. Taur. num. 24 & 25.* Guid. Pap. *decisioe 448. num. 1.* Petri. Plaça *in epit. delict. lib. 1. cap. 10. num. 25. ad fin.* Farinac. *quæst. 31. numero 112. & dict. quæst. 147. num. 36.* Caball. *d. cas. 283. ex numero 1.* Giurb. *consil. 37. num. 1.* Anton. Matth. *d. cap. 5. num. 8.* Berlich. *d. conclus. 36. num. 28. & conclus. 38. num. 112.* Carpov. *d. quæst. 69. numero 1.* cum sequenti-
in hunc reum insurgebant, ut pœna aggravaretur. Et si in his criminibus licitum est iudici arbitrium extendere pro criminis atrocitate usque ad mortem, ut cum Gloss. Menoch. Farin. Felino, Craveta, Angelo, Aretino, & aliis probat Berlich. *dict. num. 28.* etiam casu quo flagitium perfectum non fit, sed attentatum, ut docet Ant. Faber *in C. d. lib. 9. tit. 7. diffin. 7.* multò magis poterit pœnam mortis imponere, quando ultra legem arbitrium concedentem, adest alia lex, licet antiquior, pœnam ordinariam statuens: nam una per aliam, ut dixi interpretanda est, quia lex posterior pertinet ad priorem, dum contraria non sunt, ut docet Paulus *in dict. l. sed & posteriores 28. ff. de legibus,* & contrariae leges dicuntur, quando amba simul stare non possunt, notat Castrenf. *in dict. leg. sed & posteriores; num. 1. & 2.* Nostra enim lege, de quibus agimus, simul stare possunt, ut ex dictis resultat.

Verum in hac specie pœna extraordinaria plectendum reum suadebat, quod quoties pœna Canonica communiter in praxi recepta, ob aliquam causam imponi non potest, pœna juris civilis imponenda

nenda est, ut omnes Doctores tenent; & cum hæc in crimine stupri, seclusa violentia, & raptu, sit extraordinaria, d. si item lex Julia de adulteris, in fi. de publ. jud. & de Jure Hispano, d. l. tit. 19. 26 part. 7. extra ordinem reus plectendus erat: Text. in leg. si quis viduam, ff. de quest. pluribus Anton. Gomez. in d. l. 80. Tauri. num. 9. Grilland. d. quest. 7. n. 12. Clar. d. §. stuprum, num. 3. & ibi Baiard. num. 34. Farin. d. quest. 147. num. 7. 96. & 109. Fachin. lib. 9. controuer. cap. 101. per tot. Franquif. decis. 534. num. 1. cum segg. Peguera, decis. 42. num. 3. Petr. Gregor. lib. 36. syntag. cap. 9. num. 5. Caball. dict. cas. 283. num. 8. Fontanell. d. claus. 5. Gloss. 5. part. 2. num. 2. Langleus, semestr. lib. 8. cap. 7. in princ. Ciarlin lib. 1. controuerf. cap. 33. num. 81. Marinis, lib. 1. resolut. cap. 255. num. 14. Anton. Matth. dict. cap. 5. num. 8. Berlich. d. conclus. 38. num. 105. Carpov. dict. quest. 69. Cum enim in hac specie nihil violentiæ neque raptus intervenisset, quia excitatio ad libidinem, violentia non est, ut probat Scaccia, de re judic. Gloss. 14. quest. 21. num. 58. neque pessima fraus, (nuptias promittendo quando adimplere promissa non poterat, quo in casu pœnam mortis imponendam tenuit Berlic. dict. conclus. 38. num. 29.) neque assidua persuasiones adessent, ut violentia præsumptiva probaretur, juxta communiter notata per Doctores de quibus Farin. d. qu. 147. num. 34. per plures segg. Imo puellæ ex veneorum confabulatione, libidinis stimulis inflammata, in stupro consentirent; quamvis pœna juris civilis, & Hispaniæ aggravanda esset, non tamen usque ad mortem; quia qualitates aggravantes similem acerbitatem non exigebant, ut ex dicendis resultat.

28 Neque his obstant in contrarium deducta, quia ad primum respondebatur, quod ex reiteratione criminis stupri, pœna mortis imponi non potest, ut in specie tenuerunt Farin. dict. quest. 147. num. 60. Berlich. d. concl. 38. numer. 103. Carpov. d. quest. 69. numer. 14. ad fin. & Anton. Faber d. diffin. 5. num. 14. in not. Thomas Grammaticus, quem sequuntur Thefaurus & Baiardus, ubi supra, loquitur de stupro reiterato ducendo plures uxores superflite prima, & ad hoc simile facinus, quicquid ij dicant, non punitur pœnâ mortis, quamvis hæresin sapiat, sed alia mitiori, ut pleribus probat

Carena, de officio sancti. Inquis. part. 2. tit. 5. §. 12. numer. 61. cum sequentibus, Caballus, cas. 98. num. 1. cum segg. & ex nostratibus Gomez, in d. leg. 80. Taur. num. 27. cum duob. segg. Gutierrez, lib. 2. practie. cap. 5. per tot. Ferdin. Otero, in quest. juris parte 3. quest. 9. num. 3. Trafmicra, de Polygam. lib. 2. quest. 1. num. 29. cum segg. Et sic licet iste reus tres puellas stuprasset, non pœna mortis, sed alia leviori pœna puniendus erat, quamvis graviori respectu simplicis stupri.

Ad secundum dicendum est, quod licet ceter omnes puellas ducere non posset, neque aliquam, quia nulla contrahere cum illo voluit, & ob paupertatem non posset dotare, quo in casu subintrat regula: qui non habet in bonis luat in corpore, hæc procedit quo ad pœnam extraordinariam; sic docente Ulpiano, in leg. 1. §. generaliter, ff. de pœn. ibi: ut eis qui pœnam pecuniariam egentibus, cludent; coercitionem extraordinariam inducant. Ubi plura Doctores tradunt, signanter Dionys. Gothofred. Menoch. de arbitrar. cas. 447. num. 3. Farinac. quest. 26. num. 17. Tuscus, litt. D. conclus. 53. n. 1. Dominus Covartuv. lib. 2. var. c. 1. n. 8. Riccius, rer. quorid. resol. 2. 51. ex. num. 1. Anton. Matth. d. lib. 48. ff. tit. 18. cap. 5. num. 9. Et sic reus iste dum pœna juris civilis, & Hispani, quæ arbitraria est puniretur, jam in corpore lucebat, juxta communem sententiam, quod in bonis defecerat.

Ad tertium dicendum quod licet in puncto juris nostræ leges recipiant interpretationem quam supra tradidimus, in praxi communiter admittitur dispositio Text. in dict. 4. leg. tit. 20. lib. 6. recopil. ut tradit Azevedo, in d. leg. 6. titulo 20. lib. 8. simpliciter interpretata, ita ut pœna corruptentis virginem, cognatam, vel nutricem domus domini quem servit, sit judici arbitraria, eam aggravando secundum qualitates commissi, citra mortem tamen, nisi interveniente raptu, vel violentia; & sic judicatum sæpius fuisse testabantur antiquiores, & tradunt Azevedo, in dict. lib. 6. Vela, d. part. 1. delict. cap. 36. num. 9. cum quibus congruunt tradita per Berlich. concl. 38. num. 108. docentem, famulum puniendum pœna gravi, si filiam domini stupraverit, extra mortem tamen; quod ego intelligerem si differentia qualitatis magna non sit; nam si nobilis puella flagitata

flagitata fuerit à vili famulo, pœnam acerbam deberi crediderim, juxta doctrinam ejusdem Berlich. dict. conclus. 38. num. 104. qui plures adducit, quibus addendi Anton. Fab. in C. d. lib. 9. tit. 7. diffin. 3. & Fontanel. d. gloss. 5. part. 2. n. 24. cum sequentibus.

34 Et licet pœna aggravetur in tutore, vel curatore, puellam sibi commissam stuprante, sicut in commentariensi, & Custode carceris, copulam habentibus cum fœmina carceribus mancipata: tamen pœnâ extraordinariâ plecti tenent omnes relati supra, num. 21. & 22. licet graviori simplicis stupri: ex quibus Alphenus, quia nobilis fustigari non poterat, ad Arces Afras missus fuit per decennium.

35 Sed in hac specie dubitatum fuit, an puellæ puniendæ essent, quia inhonestissime stuprum admiserunt, spontaneè consentiendo: & de jure sic procedere videbatur, argumento Text. in lege 1. Cod. Theodos. de rapt. virgin. ubi Jacob. Gothofred. & sic cum Platea, Saliceto, Angelo, Petto Gregorio, & Tuscho, probant Farinac. dict. quest. 147. num. 49. Baiard. ad Clar. dict. §. stuprum, num. 13. Berlich. dict. conclus. 38. num. 117. Carpov. d. quest. 69. num. 57. cum sequentibus; ex nostrat. Anton. Gomez, in dict. l. 80.

36 num. 5. ad fin. Et licet fatear, quod in usu nostrorum judiciorum similis punitio non est admittenda, quod etiam fatentur Farinac. quest. 139. num. 51. & Fontanella, dict. Gloss. 5. num. 51. admittendam crediderim, quia tam fœminæ quàm viri in hoc crimine delinquant, & sub eisdem dispositionibus juris civilis comprehenduntur, ut notat Ant. Gomez, ubi prox. Quod compertum est, animadverso, quod lex Julia tam de stupris, quàm de adulteriis coercendis tractavit, ut ex ipsius inscriptione, sive rubrica resultat: & nulla ratio diversitatis versatur ad hoc, ut fœminæ impunitæ remaneant in crimine stupri, quando de adulterio puniuntur, sicut in terminis tenuit Glossa in lege si adulterium, 38. ff. ad leg. Jul. de adul. & ibi Bartol. sic dixisse Vivium, decis. 299. num. 4. reperies. Si enim ratione sexus, vel ætatis mitius puniendæ sint; aut ratione violentiæ, seductionis vel raptus excusentur, non est hujus inspectionis, quia hoc in unaquaque specie inspicendum erit. Ratio juris suadet, quod pœna sequatur omnes quos delinquendi DD. Laur. Mattheu, de Re Crim. Pars I.

voluntas ad crimen adducit; rectæ gubernationis dictamen, quod fœminæ deterreantur ne facilliter in hanc labem incidant. Si aliqua pœna coerceretur puellæ, neque tantæ deceptæ sub frustra nea spe nuptiarum derideretur, neque tot tantæque adolescentulos quorum matrimonia ambiunt, ad amplexus invitarent. Si enim in aliqua specie hæc doctrina admittenda esset, maximè in hac, quia impudentissime stupratori se obtulerunt. Tamen inveteratus Curia stylus excludit Filci accusationem, nam re maturè inspecta solum fœminæ punitæ reperiebantur, casu quo post stuprum in concubinato diu permansissent, & sic pœna videretur inflicta pro crimine ab istis puellis non patrato: licet ratione stupri puniendas æquum esse crediderim.



CONTROVERSIA LII.

De vi & effectibus assertionis judicialis puellæ stuprum passæ.

SUMMARIUM.

- 1 Assertio accusatrici attendenda non est, quia dicitur testimonium in causa sua. contr. n. 17.
 - 2 Assertio offensa, nullius momenti videtur, quia inimica rei detegitur. contr. n. 18.
 - 3 Inimicitia cadit in mulierem, ad effectus judiciales.
 - 4 Socii criminis dictum, de jure non probat. contr. n. 19.
 - 5 Assertio jurata puellæ stuprata, probat virginitatem precedentem, alio non probato.
 - 6 Assertio puellæ, cum adminiculis facit indicium ad torturam.
 - 7 Quod procedit tam in mare, quàm in fœmina, majori, vel minori, volente, vel reluctante.
 - 8 Stuprum est crimen difficilis probationis, & sic probatur conjecturis, indiciis, & præsumptionibus.
 - 9 Immo levioribus indiciis, quàm cetera crimina.
 - 10 Adminiculum quid sit, remissivè.
 - 11 Probationes in delictis veneeris prudentis judicis arbitrio committuntur.
- Mm 2. 12. Asser